



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio Vltima. Quis sit effectus supposititalitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

pletum essendi modum ut sit constituta in statu accommodato ad operandum, & hoc modo dicimus subsistentiam per se requiri ex parte agentis, ut necessariam conditionem ad operandum, sicque dicere solent Theologi ut supra asserui, Trinitatem personarum in Deo per se non requiri ad creationem ex parte ipsius actionis, ramen ex parte Dei per se, & necessario supponi, quia pertinet ad personalem Dei constitutionem, & prius est, ac per se prerequisite ut Deus sit in se plene, ac perfecte substantialiter constitutus, quam ut ad extra operetur: unde etiam si fingeremus Deum ab aeterno aliquod creare, nihilominus intelligeremus internas origines, & constitutiones diuinarum personarum ordine naturae antecedere creationem, quod si hoc verum est in Deo, in quo natura diuina est essentialiter subsistens, multo magis in creatura in qua subsistentia omnino est extra essentiam rei; atque hinc tandem constat, quo sensu operatio per se primo tribuatur supposito, quia natura ut natura ante subsistentiam non est constituta in statu completo, & proxime accommodato ad operandum, & ideo merito tribuitur actio supposito.

31 Confirmatur à simili de accidenti; nam forma accidentalis, ex natura rei loquimur, prius habet quod insit, quam quod ab illa manet aliqua actio, quia ille modus essendi est quasi intrinsecus terminus, & complementum talis formae; item est optima, & sufficiens ratio, quia talis modus habet magis intimam connectionem naturalem cum tali forma, quam omnis actio, quae ab illa potest dimanare: sed eodem modo comparatur subsistentia ad substantialem naturam; ergo.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta aduersaria solvuntur.

32 AD primum argumentum respondeo negando antecedens, quia si quantitas reducatur ad punctum, ut potest diuinitus, conseruabitur tunc sine omni figura, quod etiam concedunt aliqui probabiliter adhuc si non reducatur; tunc autem fundamentaliter tantum erit figurata quantitas, & non formaliter, linea autem sine aliquo serupulo dicitur posse conseruari sine omni puncto terminatio.

33 Ad secundum respondeo eodem modo posse esse & conseruari accedens sine omni inherencia, sicut naturam sine omni suppositualitate.

34 Ad ultimum respondeo in eo solum requiri proportionem inter terminum & actionem, in quo specificatur actio à termino; cum autem in esse entis, & positiui, non specificetur actio à termino, vel ab obiecto formali, quia ratio entis, & positiui non est species actionis, sed prima, & vniuersalissima ratio, quae in sententia D. Thom. non sumitur ab obiecto formali, vel à termino, sic licet ratio formalis obiectiua sit negatiua, dum tamen sit ratio positiua, cui coniungitur illa negatio in communi sententia potest specificare actionem positiuam praecipue in sententia Aduersariorum.

35 Secundo in mea sententia probabiliter respondeo, dari specificatum positiuum proprium illius actionis, nempe naturam conseruatam ex vi potentiae obediens independentem ab omni modo, & termino, vel si melius velis, ipsam

potentiam obediensalem, ut connotat independentiam illam, quatenus potest subdi Deo auctori supernaturali in ordine ad effectum superantem omnia principia intrinseca naturae, quae potentia obediensalis positiua est, & distincta virtualiter à potentia naturali, per quam conseruatur mediante prima actione.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quis sit effectus formalis suppositualitatis.

SECTIO I.

Prima sententia Aduersariorum proponitur.

P R I M A sententia asserit suppositualitatem ut sic habere pro effectum formalem primario independentiam à priori à subiecto materiali: hæc sententia attribuitur à P. Hurtado Patri Suarez, sed immerito quidem, ut ex dicendis infra patebit: sed cuiuscumque illa sit, sic probatur.

Quia si natura non haberet suppositualitatem, dependeret à subiecto materiali; atque ex vi suppositualitatis non dependeret ab illo: ergo ex vi suppositualitatis formaliter datur independentia in natura: ergo effectus formalis suppositualitatis, est independentia à subiecto.

Confirmatur ac declaratur, quia si substantia non haberet subsistentiam, haberet sine dubio inherenciam in subiecto: sed inherencia est dependentia à subiecto; ergo si non daretur subsistentia, daretur dependentia à subiecto: ergo ex vi subsistentiae non est inherencia in substantia, nec dependentia à subiecto: ergo est independentia ab illo ex vi subsistentiae: ergo talis independentia est effectus formalis illius.

Secundo sic probatur, quia entitas aliqua, aut debet esse in se aut in alio; si in se, habet subsistentiam, si in alio dependentiam ab illo, & ita est in se, & per se ex vi suae subsistentiae, ut nullo modo possit esse simul in alio propter oppositionem quae reperitur inter modos essendi in se, & in alio: ergo ex vi subsistentiae dicit independentiam naturae ab alio, si quidem dicit negationem ex vi illius essendi in alio.

Secunda sententia est aliorum asserentium formalem effectum suppositualitatis esse reddere naturam independentem à subiecto, non quidem à priori ut praecedens opinio asseruerat, sed à posteriori, id est fundare negationem vniionis accidentariae ad subiectum, non tamen recipiendo esse ab illo, sed dependendo solum tanquam ab eo sine quo non potest conseruari, non enim dicunt pugnare cum subsistentia terminatiua vniionem substantialem, admittunt enim in materia, & animo rationabili etiam dum vniuntur proprias subsistentias. Hæc sententia probatur.

Primo, quia subsistentia est complementum substantiae in ratione formali substantiae; sed propria hæc ratio est independentia à subiecto inherens: ergo est complementum substantiae in ratione entis per se & independentis.

Tertia sententia est eorum, qui asserunt effectum primarium suppositualitatis esse tollere independentiam naturae ad alia supposita. Probatur,

8 Probat, quia sicut se habeat præsentia ad corpus vbicatum, ita corpus vbicatum definit habere indifferentiam ad alia loca: ergo similiter natura terminata per substantiam propriam definit habere indifferentiam ad aliud suppositum.

SECTIO VLTIMA.

Nostra sententia proponitur.

9 Prima conclusio: effectus formalis primarius substantiæ, & suppositivæ non est red-
dere naturam in qua est, independentem à priori à subiecto materiali. Hæc sententia est communis, & probatur sic.

10 Primo, quia forma substantialis materialis habet veram substantiam, & nihilominus dependet à subiecto materiali à priori: ergo substantia non habet pro effectu primario independentiam à subiecto materiali. Prima pars antecedentis latissime probata manet supra. Secunda pars antecedentis certissima est in omni Philosophia, cum tales formæ educantur ex potentia materiæ; omne autem quod educitur dependet in esse fieri, & conservari à re ex cuius potentia educitur. Consequentia est evidens, quia nulla forma potest esse sine suo effectu formali, vel cum opposito potius sui effectus formalis primarij: atqui substantia formæ materialis est sine independentia à materia; imo potius cum dependentia ab illa, quæ est opposita independentiæ: ergo independentia non est effectus formalis substantiæ.

11 Confirmatur hoc, quia suppositum equinum est effectus formalis suppositivæ; atqui suppositum equinum dependet à subiecto materiali: ergo effectus formalis primarius suppositivæ non dicit independentiam à priori à subiecto materiali. Maior est evidens, quia nihil est aliud effectus formalis primarius alicuius formæ, nisi concretum ex ipsa forma, & ex subiecto illius: atqui suppositum equinum est concretum ex suppositivæ & ex natura equi, quæ est subiectum suppositivæ: ergo suppositum equinum est effectus formalis primarius suppositivæ. Minor sic probatur, quia suppositum equinum dependet à priori à natura equina, quia natura equina est constitutum intrinsecum illius, cum ex tali natura & suppositivæ intrinsece componatur suppositum; atqui natura equina essentialiter, & à priori dependet à materia prima ipsius naturæ equinæ: à qua essentialiter componitur tanquam à causa materiali & subiectiva; ergo de primo ad ultimum suppositum equinum dependet à subiecto materiali intrinsece à priori, quod adeo verum est, ut non solum in equo, sed etiam in homine verificatur hæc veritas; nam homo essentialiter dependet à materia sua, sicut dependet à sua anima rationali, quia sunt partes essentialiter compositivæ illius; homo autem suppositum est: ergo suppositum compositum licet sit perfectum ut homo, & in perfecto gradu intellectivæ constitutum, dependebit à subiecto materiali; unde à fortiori suppositum imperfectum ut est equinum dependebit à subiecto materiali.

12 Secundo probatur, in entitate terminante ex natura sua creationem ut est materia prima, & & animus rationalis, quia entitas hæc per ipsam creationem constituitur formaliter independens

à subiecto: ergo substantia resultans ex existentia illius entitatis non constituit illam independentem à subiecto. Patet consequentia, quia ante resultantiam substantiæ per solam terminationem creationis habet natura illam independentiam, quod ita ostendo: creatio ex natura sua solum est dependentia termini à principio effectivo, & independentia à subiecto materiali: ergo constituit terminum suum dependentem à principio effectivo, & independentem à principio passivo: ergo independentia à subiecto non provenit in materia prima, & in animo rationali à substantia.

13 Confirmatur, quia in hoc distinguitur creatio à generatione, quod generatio est dependentia, tam à principio effectivo, quam à principio passivo, creatio vero cum sit productio rei ex nihilo, id est ex nullo præsupposito subiecto, est solum dependentia à principio effectivo, & independentia à principio passivo: ergo simul constituendo terminum suum dependentem à principio effectivo constituit independentem à principio passivo.

14 Dices negationem dependentiæ à subiecto oriri à creatione efficienter, à supposito autem eam oriri formaliter à creatione remote, à supposito proxime: sed contra, quia ut bene ait P. Hurtado, creatio immediate, & se sola fundat negationem dependentiæ termini à subiecto: ergo ad hoc non exigitur suppositum. Probo antecedens, creatio est proxima ratio referendi terminum ad solum agens, ita ut illi soli repugnet suum terminum referre ad subiectum, & hanc negationem concipimus ex solo conceptu creationis: ergo sola ipsa immediate fundat negationem. Probo antecedens, creatio se sola immediate est independens ut quo à subiecto, ita ut ex solo suo conceptu pugnet cum subiecto in suo termino: ergo ipsa immediate terminum constituit independentem ut quod à subiecto: antecedens liquet ex definitione creationis, consequentiam probo, quia dependentia termini ab agente illum formaliter constituit dependentem ab agente, & dependentia illius à solo agente illum constituit formaliter dependentem à solo agente, & independentia à subiecto constituit terminum formaliter independentem à subiecto, & ratio evidens à priori est, quia actio, quæ dependentia est, non solum producit extra terminum; sed etiam adhæret intrinsece termino, & exhibet seipsam per modum formalitatis mediæ adhærentiæ intrinsece illi: ergo non solum efficienter constituit terminum; sed etiam formaliter in ratione dependentis, siquidem non solum est ratio producendi efficienter terminum; sed etiam ratio, quasi formalisandi intrinsece illum. Tandem actio constituit terminum proxime dependentem: ergo creatio ex nihilo constituit terminum proxime independentem ab aliquo.

15 Tertio principaliter sic argumentor, quia substantia completa spiritualis ex vi rationis substantiæ, & quatenus ratio substantiæ est prior substantiæ, distinguiturque ab illa, habet formaliter, & essentialiter independentiam à subiecto materiali: ergo illam non habet à substantia. Patet hæc consequentia, quia illud prædicatum siue positivum, siue negativum, quod habet aliquod prius in quantum prius est, ex vi suæ essentia, non potest illud habere seu recipere à posteriori, ut patet ex illo axioma, scilicet quod est prius non dependet à posteriori, nec habet esse ab illo: antecedens sic probatur, quia substantia completa spiritualis ex vi gradus spiritualis,

ritualis, dicit negationem compositionis materialis, & formae, quia substantia spiritualis completa ex vi spiritualitatis substantialis est simplex essentialiter, cum autem simplex ut simplex neget omnem compositionem, tam integram, quam essentialem, necesse est ut substantia illa, quae simplex est omnino, neget etiam compositionem, tam essentialem quam integram: sed negatio compositionis est negatio dependentiae à subiecto materiali, & negatio dependentiae est independentia à subiecto materiali: ergo substantia completa spiritualis habet ex vi suae essentiae independentiam à materia; unde minime habet talem independentiam à subsistentia, quia si ex seipsa illum effectum habet, superuacaneus erit alius modus, vel res ex natura rei distincta ut illum conferat, sicut verbi gratia, quia homo ex vi suae essentiae habet negationem brutalitatis, non potest habere illam ex vi alicuius entitatis à sua essentia, ita ut talis negatio fundetur in entitate distincta ab existentia hominis, quod autem negatio compositionis sit negatio dependentiae à materia patet sic, quia compositio est causalitas, seu influxus materiae in compositum, tanquam in suum effectum: sed causalitas, & influxus alicuius causae est dependentia effectus ab illa: ergo compositio est dependentia compositi à causa materiali: sed negatio, quae datur in Angelo, quatenus spiritualis, & simplex entitas est, est negatio compositionis materialis: ergo est negatio dependentiae à materia, ac per consequens erit independentia ab illa.

Confirmatur, quia Angelus non est forma informans materialis, & corruptibilis: sed forma assistens spiritualis, & simplex; atque forma spiritualis & simplex non dependet à subiecto ex vi suae essentiae: ergo ex vi suae essentiae Angelus habet independentiam à subiecto: ergo non habet illam ex vi subsistentiae, sicut ex vi subsistentiae, non est forma assistens spiritualis, sed potius ex vi suae essentiae.

Vergetur amplius, quia si Angelus ornaretur à Deo per possibile, vel impossibile: sine omni suppositualitate, talis natura Angelica esset independentem ab omni subiecto: ergo independentiam à subiecto non habet Angelus à subsistentia, quia si talem independentiam haberet, ab illa non posset habere eam Angelus sine suppositualitate, effectus enim formalis primarius nullo modo potest esse sine forma, cuius effectus est, alias posset esse album sine albedine.

Dices, in eo casu naturam Angelicam esse independentem negatiue, non autem positiue, indigere autem suppositualitatem ut esset independentem positiue.

Sed contra, quia independentia non est positiua formaliter, sed negatiua: ergo male asserunt aduersarij dicendo deficere independentiam positiuam, sicut male assereret aliquis qui diceret de caeco habere cecitatem negatiuam, seu priuationem, deficere tamen illi positiuam cecitatem: ergo si Angelus ex vi suae entitatis quatenus distinguitur à subsistentia habet omnem negationem dependentiae, quam habere potest, ergo habet omnem dependentiam quam habere potest, quia omnis independentia est negatio dependentiae, ac proinde superflua erit suppositualitas ad tribuendam independentiam tali naturae.

Deinde, & supponamus independentiam esse positiuam formalitatem, in eo casu haberet independentiam positiuam Angelus, quia haberet intrinsece sibi adhaerentem creationem; atque creatio est positiua independentia à subiecto:

ergo haberet in eo casu independentiam positiuam sine suppositualitate.

Dices independentiam negatam ab aduersariis, seu quam asserunt aduersarij, non esse respectu subiecti à quo componatur substantia: sed respectu subiecti à quo sustentetur. Sed contra hanc obiectionem dicemus secunda conclusione, quae est immediate contra secundam sententiam supra positam.

Secunda conclusio: independentia substantiae à subiecto à posteriori, non est effectus formalis primarius subsistentiae.

Probatum sic primo, quia materia prima in sententia aduersariorum; imo in omnium sententia ex vi suae essentiae, quatenus distinguitur à propria subsistentia, est primum subiectum compositionis substantialis, ita ut ratio primi subiecti non conueniat illi ratione subsistentiae; sed ex vi propriae essentiae; atque primum subiectum quatenus primum subiectum est, negat praesupponi aliud subiectum ante se, cui innitatur, & à quo sustentetur, alias esset primum, & non primum subiectum, primum quia sic supponitur ex definitione illius, non primum quia supponit aliud prius se: ergo negat ex vi suae essentiae praecisa subsistentia dependentiam à subiecto materiali. Patet haec consequentia, quia dependentia alicuius à subiecto debet esse per sustentationem ab illo, praesupponendo illud à quo sustentetur; sed talis materia prima ex vi suae essentiae negat aliud subiectum ante se praesuppositum, & sustentationem ab eo: ergo negat dependentiam à subiecto: ergo dicit ex vi suae essentiae independentiam ab eo: ergo talem independentiam non accipit à subsistentia, quia subsistentia non est essentia materiae primae.

Confirmatur, quia anima rationalis ex eo quod spiritualis substantia est, est omnino independentem à priori, quam à posteriori à subiecto materiali, ita ut illam independentiam habeat ex vi gradus spiritualis substantialis; atque gradus spiritualis substantialis est essentia, & de essentia animae rationalis, ac per consequens praedicatum essentiale ipsius: ergo ex vi praedicatorum essentialium habet anima independentiam à posteriori à subiecto materiali: sed subsistentia animae rationalis non est praedicatum essentiale illius: ergo independentiam à subiecto non accipit anima rationalis à subsistentia; item quia forma materialis substantialis ut supra dixi, dependet tam à priori quam à posteriori à subiecto materiali: sed illa forma materialis habet subsistentiam; ergo subsistentia non tribuit illi independentiam à subiecto, alias esset dependens, & independentem ab eo.

Secundo probatur, quia natura Angelica ex vi suae essentiae est substantia completa spiritualis: sed ex eo quod sit talis negat sustentari à subiecto materiali: ergo negat dependere ab illo: ergo ex vi suae essentiae, & non à subsistentia habet independentiam à posteriori à subiecto. Minor illa sic probatur, quia omne quod dependet à posteriori tanquam à sustentante ab aliquo subiecto, aut est forma incompleta substantialis materialis, aut est accidens reale: sed ex eo quod sit substantia talis Angelus negat esse accidens: ergo negat sustentari à subiecto: item ex eo quod sit spiritualis, & incorruptibilis, & ex eo quod sit substantia completa, negat esse formam materialem substantialem incompletam: sed ex eo quod negat esse formam materialem, & incompletam, negat dependentiam quam dicit talis forma respectu subiecti, sicut, verbi gratia, ex eo quod homo

Quæst. vlt. Quis sit effect. form. supposit. 105

homo neget brutalitatem equi, negat exercitium talis brutalitatis: ergo ex vi suæ essentia, & ex vi prædicatorum essentialium, negat Angelus dependentiam à posteriori à subiecto, quia cum spiritualitas substantialis completa sint prædicata essentialia naturæ Angelicæ, & ex vi spiritualitatis substantialis completa, negat Angelus talem dependentiam, necessario negabit ex vi prædicatorum essentialium illam; unde ex vi suæ essentia, & non à substantia habebit independentiam à posteriori à subiecto.

24 Confirmatur hæc totum ex P. Hurr. quia tota hæc independentia à posteriori, de qua loquimur, est negatio vnionis inhæsiuæ ad subiectum: sed Angeli natura immediate per suum conceptum solum fundat negationem huius vnionis: ergo independentiam à posteriori: probo minorem. Angelus per suum conceptum fundat immediate negationem accidentis, & formæ vniuersalis subiecto: sed quod id fundat immediate fundat immediate negationem vnionis ad subiectum: ergo. Maior est certa, quia substantia suo conceptu quidditatiuo fundat immediatam distinctionem ab omni accidente, quam distinctionem habet Angeli natura, non à supposito, sed à sua essentia, ut homo seipso distinguitur à bruto: minor probatur, quia immediatum fundamentum negationis alicuius essentia, aut entis fundat immediate negationem omnium rerum essentialiter dependentium à tali ente, verbi gratia, lapis seipso fundat negationem rationalitatis, & ideo non eget alio fundamento positiuo distincto realiter ad negandum intellectum, voluntatem, & earum actus, quia negata radice per locum intrinsecum sequitur negatio omnium, quibus repugnat esse absque ea radice.

25 Dices, fundamentum immediate negans radicem negare omnia ab illa radice essentialiter dependentia, ut lapis negat, & rationalitatem, & omnes eius potentias, & actus: at Angeli natura non negat adæquate & immediate dependentiā à posteriori.

Contra, conceptus vnionis inhæsiuæ pendet ab essentia accidentis ut à radice essentiali, non minus quam ratiocinatio à rationalitate. quia vnio accidentis est illius modus, & eo posterior essentialiter, ita ut nec per potentiam Dei absolute solutam possit non dependere ab accidenti cuius est modus; sed Angelus per suam essentiam immediate negat accedens, non minus quam lapis rationalitatem: ergo Angelus per suam naturam, tam adæquate negat vnionem accidentis, quam lapis ratiocinationem: ergo ut lapidi non adjicitur aliquis modus distinctus realiter ad negandam ratiocinationem; ita nec Angelo vnionem accidentariam: ergo formalis effectus suppositi non est ad negandam immediate eam vnionem, nec ad fundandam negationem illam à posteriori, sunt enim idem negatio eius vnionis, & independentia illa, ut sunt idem dependentia, & vnio inhæsiuæ, nec valet dicere, quod sicut anima non immediate, & per se, sicut recipit potentias, ita recipit actus: sed potius mediantibus potentis actus, ita similiter non valet bene lapis immediate negat potentias: ergo immediate negat actus, non enim hoc valet, quia est contra euidenter experientiam, equus enim indiget ad videndum, calore, sanguine, spiritu vitali, specie, obiecto, & aliis, lapis enim ad non videndum non eget nisi seipso; item homo ad habendam charitatem per se infusam, indiget voluntate, & lapis ad negationem charitatis nullo alio præter seipsum. & ratio euidens est, quia ad perfectius

I. P. Tom. II.

esse propter suam excellentiam, & perfectionem (loquor in creatis) plura requiruntur requisita, quam ad imperfectiorem rationem, qualis est negatio. Item ad effectus positiuos requiri etiam immediata comprincipia; at vero ad negationem sufficit negare vnum principium.

27 Tandem insurgo contra aduersarios, qui in suis verbis committunt apertam repugnantiam; nam ex vna parte asserunt substantiam dare, & communicare naturam tanquam effectum independentiam à posteriori, & ex alio capite dicunt hanc independentiam esse negationem vnionis inhæsiuæ ad subiectum, ita ut talis negatio sit independentia à subiecto substantanti, repugnantia autem in hoc consistit, quod dicat hanc independentiam esse à posteriori cum sit à priori; unde idem valet, ac dicere, independentiam istam esse à posteriori, assignantes independentiam à priori, quod autem talis independentia sit à priori sic patet, quia dependentia ab aliquo priori, & antecedenti, quale est subiectum inhæsionis est dependentia à priori, & ideo accedens dependet à priori à substantia, quia dependet à subiecto sustentante; imo forma materialis, licet sit substantialis, quia dependet à materia prima tanquam à subiecto sustentante, dependet à priori, & non à posteriori, & ratio euidens à priori huius est, quia omne quod dependet à subiecto sustentante, accipit esse ab illo per educationem tanquam à causa materiali, ut videre est in omni forma accidentali respectu sui subiecti, & in omni forma substantiali materiali, respectu materia primæ, quæ omnes formas educuntur ex potentia subiectorum, quia dependent in suo esse ab illis, educio enim nihil aliud est quam dependentia in esse à subiecto: ergo quicquid dependet ab alio tanquam à subiecto sustentante, dependet ab illo tanquam à causa materiali, ex qua educitur, & ex qua habet esse: sed huiusmodi dependentia est dependentia à priori: ergo dependentia ab aliquo tanquam à subiecto substantanti, non est dependentia à posteriori: sed necessario, & formaliter à priori: ergo oppositum immediatum huius dependentia, quæ est independentia à subiecto, tanquam à sustentante, non est independentia à posteriori, sed à priori, quia oppositorum eadem est disciplina, & ratio: ergo independentia, quam dicunt aduersarii esse effectum formalem substantia, est independentia à priori: quomodo ergo dicunt esse à posteriori: contradictionem igitur apertam committunt suis verbis, & vnum dicentes alterum assignant.

28 Tertia conclusio: effectus formalis supposititalitatis, seu substantia non est tollere indifferentiam, quam natura habet ut possit de potentia Dei absoluta terminari per aliena supposita: hæc conclusio sic probatur.

29 Primo, quia hæc indifferentia nihil aliud est quam potentia quædam obediens, media qua eleuatur, vel potest eleuari creatura ad vnionem hypostaticam diuinæ supposititalitatis, ut contingit in humanitate Christi respectu supposititalitatis Verbi: sed hæc potentia obediens non tollitur in natura creata, nec potest tolli per supposititalitatem propriam: ergo effectus formalis supposititalitatis non est tollere indifferentiam naturæ ad aliena supposita. Maior euidens est, quia nihil aliud est indifferentia in actu primo alicuius entitatis, nisi potentia ad varia munera, seu exercitia obœunda, ut patet in voluntate, cu-

cuius indifferentia nihil aliud est, quam potentia ad varios actus prosecutionis, & odij eliciendos & in materia prima indifferentia eius ad formas, nihil aliud est, quam potentia illius ad diuersas, & dissimiles formas accipiendas: sed potentia obediens est capacitas, seu aptitudo natura, vt media obedientia, & de ratione diuina possit terminari per diuersa supposita, vt sunt Patris, Filij & Spiritus Sancti: ergo indifferentia illa nihil aliud est, quam dicta potentia obediens. Minor præcipua sic probatur, quia potentia obediens, vt latissime probatum manet in Physicis, est idem quod entitas natura creata sine aliqua distinctione ab illa, siue reali, siue modali, siue formaliter ex natura rei: sed per subsistentiam aut suppositualitatem, non destruitur entitas natura creata, nec id quod cum ipsa omnino identificatur; imo manente natura nullo modo potest etiam dependentia absoluta destrui potentia obediens illa, quia idem non potest destrui manente, & conseruato eodem, quia idem separaretur à se ipso realiter secundum entitatem, ac per consequens idem erit, & non erit simul, quod est contra euidentissimum illud axioma minime diuina omnipotentia subiectum, impossibile est idem simul esse, & non esse: ergo indifferentia illa natura non tollitur per suppositualitatem. Vnde tollere indifferentiam illam non erit effectus formalis suppositualitatis.

30 Confirmatur, quia suppositualitas creata, & potentia obediens in ordine ad diuina supposita nullam habent inter se repugnantiam, & oppositionem: sed illa quæ minime opponuntur minime possunt sese destruere naturaliter: ergo subsistentia non tollit nec destruit indifferentiam illam quæ talis potentia obediens est. Minor illa sic probatur, quia destructio, seu expulsio vnius formalitatis respectu alterius, est effectus secundarius formarum oppositarum inter se, vt videre est in albedine respectu nigredinis, &c. sed potentia obediens, & suppositualitas naturalis nullam habent oppositionem inter se, nec repugnantiam: ergo vna non tollit aliam nec destruit illam.

31 Dices expulsionem vnius formalitatis respectu alterius, non solum esse propter oppositionem, sed propter superfluitatem, vt videre est in expulsionem vnius forme substantialis respectu alterius, & in incompatibilitate essendi duarum qualitatum omnino similibus, vt sunt duæ albedines, vt vnum respectu eiusdem subiecti.

32 Sed contra & admitto, quod aduersarij optime asserunt, quo admissio sic argumetur, quia existente potentia obediens in natura, minime superfluit suppositualitas, & e contra, quia tunc datur superfluitas, quando id ad quod ordinatur vna forma, ordinatur & alia, id est quando ad eundem finem consequendum ex natura sua referuntur talis forma, & quando illa sunt eiusdem ordinis, & natura vt videre est in duabus quantitativis, & in duabus albedinibus vt vnum, quæ eiusdem rationis, & nature sunt, & ad eundem finem ordinantur; nam veraque albedo intendit constituere disgregatum visus vt vnum, & vtraque quantitas reddere substantiam extensam in ordine ad locum, & quia finis, seu effectus, qui fit per duas potest sufficienter fieri per vnam necesse est vt altera superfluat, & ideo duo accidentia diuersæ rationis; quia ad diuersos fines ordinantur vt dulcedo, & albedo possunt in eodem saccari subiecto sine aliqua super-

fluitate existere: atqui suppositualitas est perfectio naturalis ad finem naturalem ordinata, & minime actiua, nec immediate influens in effectum, potentia autem obediens est immediate influxiua connotans, & intendens finem miraculosum, & supernaturalem, & formaliter sumpta minime naturalis dicitur, vt latissime à nobis disputatum manet in Philosophia, vbi data opera de hac potentia obediens egimus: ergo potentia obediens, & suppositualitas naturalis non sunt eiusdem ordinis: sed diuersi, nec ad eundem; sed ad diuersum finem ordinantur: ergo stante suppositualitate in natura, non superfluit potentia obediens in eadem: ergo nec ratione oppositionis, nec ratione superfluitatis suppositualitas potest tollere indifferentiam, seu potentiam obediens ex natura respectu diuinorum suppositorum, quod autem suppositualitas, & indifferentia obediens nullam dicant oppositionem inter se patet sic, primo quia non dicunt priuatiuum, cum ambæ formalitates sint positivæ nec relatiuæ, quia ambæ sunt absolutæ, nec contradictoriæ, quod suppositualitas affirmat, neque contra, cum ambæ sint affirmatiuæ entitates, nec tandem dicunt oppositionem contrariam, cum huiusmodi oppositio semper versetur inter duas qualitates, & neutra harum sit qualitas. Deinde hoc ipsum consuevit rationes quas contra superfluitatem posuimus.

Vergetur amplius, quia adhuc stante suppositualitate in natura, potest eadem natura obediens terminari indifferenter per hoc, vel illud suppositum diuinum, vt late in hoc eodem tractatu de subsistentia, supra efficaciter probauimus: ergo indifferentia obediens, ad aliena supposita, non tollitur per suppositualitatem propriam, ac proinde tollere talem indifferentiam non erit effectus formalis primarius talis suppositualitatis.

Secundo principaliter sic argumetur, quia 33 connaturalis determinatio alicuius facultatis ad aliud supponit connaturalem indifferentiam in facultate ad illud, ad quod per talem formalitatem determinatur; sed in Angelo, vel in natura humana, lapide, &c. non est, connaturalis indifferentia, vt possit terminari per aliena supposita: ergo neque egeret connaturali determinatione, ne possint terminari per aliena supposita. Maiorem esse certam ostendunt materia prima, animus rationalis, & corpus nam verbi gratia, quia materia prima naturalem indifferentiam habet ad quamlibet formam recipiendam, & animus rationalis ad hanc, vel illam materiam informandam, & corpus vt in hoc, vel illo loco sit præsens, fit vt vni materia ad hanc formam & huius animi ad hanc materiam, & in corpore hæc præsentia ad hunc locum sint connaturales materię animi, & corporis determinationis.

Item eandem maiorem ostendit ratio à priori, 34 quia determinatio alicuius facultatis, & virtutis est eiusdem virtutis exercitium: ergo determinatio connaturalis, connaturale etiam facultatis, & virtutis exercitium erit.

Ad hæc ad id ad quod res natura sua non est 35 indifferens, non egeret connaturali distincta ex natura rei determinatione, vt verbi gratia, quia lapis non est indifferens ex natura sua ad hoc vt sit spiritalis, vel corporeus; non egeret determinatione connaturali ex natura rei distincta ad hoc vt non sit spiritalis: ergo omnis connaturalis determinatio, alicuius virtutis, & facultatis

tis supponit connaturalem indifferentiam in illa virtute, & facultate: minor vero inde patet, quia inter propriam supposititalitatem, & naturam est intrinseca, & naturalis connectio. supposititalitasque propria debetur naturæ debito connaturalitatis & creationis: ergo in natura humana non est connaturalis indifferentia ad suppositum alienum, verbi gratia, Angelicum, vel lapideum. Patet consequentia, non solum propter rationem supra positam, nimirum quod modus vnus naturæ non possit esse modus alterius, sed etiam propter has; quæ vim maximam inferunt etiam in casu, in quo supponitur supposititalitatem creatam non esse modum sed rem, & imprimis, quod non sit indifferentia ad suppositum lapideum sic patet, quia indifferentia naturæ humanæ non est indifferentia ad quodlibet suppositum, sed ad suppositum quod sit persona ex communi definitione personæ, scilicet persona est rationalis naturæ indiuidua substantia: atqui lapideum suppositum, quod sit persona: ergo item neque esse potest indifferentia connaturalis in natura humana ad suppositum Angelicum; tum quia natura humana non est simplex: sed composita natura; substantia vero Angelica est simplex: ergo non est indifferentia connaturalis in natura humana; ad Angelicam substantiam; tum etiam, quia natura adæquate incorporea, & spiritualis ad suppositum adæquate etiam spirituale, & incorporeum est naturaliter solum determinata, vnde patet in natura Angelica, quæ ex sua natura determinate ita petit supposititalitatem simplicem spiritualem, vt nullo modo possit naturaliter terminari per supposititalitatem corpoream; & contra natura adæquate corporea, & materialis ad suppositum adæquate etiam corporeum, & materiale est solum naturaliter determinata, vt patet in natura lapidis; & equi: ergo natura non adæquate corporea, nec adæquate spirituales, sed partim corporea, & partim spiritualis, non habebit indifferentiam ad suppositum, nec adæquate corporeum, nec adæquate spirituale, sed potius erit determinata ad suppositum partim corporeum; & partim spirituale ex natura sua: ergo non indiget determinatione à se distincta, vt est substantia, nec substantia potest tollere indifferentiam connaturalem ad aliena supposita, siquidem nulla talis indifferentia est in natura humana: item si natura Angelica equina, & humana essent ex se indifferentes ad propria, & ad aliena supposita, aliena supposita non essent minus propria, quam propria, cum æque vtræque peteret ex se, sicut respectu materiæ primæ non potest vna forma substantialis esse magis propria, quam alia, quia ex natura sua indifferentiter respicit omnes.

36 De suppositis vero diuinis clarius patet, ob summam, & infinitam distantiam inter illa, & naturas omnes creatas; item ob adductas rationes: maiori, & minori probata consequentia euidenter infertur, videlicet naturam humanam; imo neque vllam aliam creatam egere naturali determinatione, ne per aliena supposita determinari possit; ex quo ita iterum argumentor, effectus formalis suppositi proprii est connaturalis tam ipsi supposito, quam naturæ cuius suppositum est proprium: ergo effectus formalis suppositi non est determinatio naturæ, ne possit per aliena supposita terminari. Patet consequentia, cum natura ex se determinata sit, ne per illa possit terminari: non ergo eget supposito proprio ex natura rei ab ipsa distincto ad illum effectum communicandum.

Præterea, & efficacius, quia eo modo & eiusdem ordinis debet esse determinatio, & indifferentia, quæ tollitur per determinationem; opposita enim eiusdem ordinis debent esse secundum illud axioma oppositorum eadem est disciplina & ratio, ad hoc enim vt tollatur nigredo, non debet esse per aliquam qualitatem supernaturalem, sed per albedinem, & ad hoc vt tollatur cæcitas, non debet esse per intellectum, sed per visum: ergo si per supposititalitatem tollitur indifferentia debet esse eiusdem ordinis naturalis, sicut est determinatio, verbi gratia, differentia specifica est determinatio substantialis naturalis indifferentia in genere, quæ tollitur per illam differentiam determinantem, est etiam substantialis naturalis in genere, & non accidentalis aut supernaturalis: sed indifferentia illa in ordine ad supposita aliena, & diuina in natura humana est indifferentia obediencialis, & non naturalis, & supposititalitas est determinatio naturalis: ergo talis indifferentia non potest tolli per supposititalitatem, cum non sint eiusdem ordinis, quod autem illa indifferentia sit obediencialis, & non naturalis, sic demonstratur, quia est in ordine ad actum supernaturalem media eleuatione diuina, vt potentia, quæ datur in anima in ordine ad gratiam; nam talis indifferentia in natura est vt ipsa vnatur hypostatice suppositis diuinis; atqui vnio hypostatice, & supposita diuina sunt actus supernaturales, & perfectiones infinitæ, quas non potest attingere capacitas naturæ humanæ, nisi media eleuatione, & medio concursu indebito omnino naturæ superanteque omnia principia intrinseca eiusdem naturæ, ac proinde omnino supernaturali concessio à Deo naturæ ex vi obediencialis, & subiectionis ipsius: ergo talis indifferentia in natura est obediencialis, siquidem habet omnia prædicata essentialia capacitatis obediencialis, vt de se patet.

37 Confirmatur, ex natura rei non possunt duæ formæ substantiales simul reperiri in vna, & eadem materia, neque vnum corpus in duplici loco; atqui supposititalitas creata propria, & suppositum alienum sunt duæ formæ, vel quasi formæ respectu eiusdem naturæ: ergo natura non potest terminari naturaliter duplici supposito: ergo non habet indifferentiam natura ad duo illa supposita simul: ergo non eget aliquo determinante ad hoc vt tollatur indifferentia, quia quod non est, non potest tolli per aliud; nam quis poterit dicere hominem egere aliqua qualitate à se distincta, vt ei tollatur indifferentia ad habendas alas vel cornua, quia cum homo ex natura sua sit determinatus ad negationem illarum rerum, non habet indifferentiam ad illas, ac per consequens non eget determinante per quod tollatur talis indifferentia, quæ non est, adde, quod sicut ex vi vnus formæ determinatur materia ne habeat aliam, & nihilominus non dicimus esse effectum formalem primarium tollere indifferentiam à materia ne habeat duplicem formam: ergo similiter licet ex vi substantiæ determinetur natura non habeat aliam non debet dici, quod effectus formalis substantiæ propriæ sit tollere indifferentiam naturæ ad non habendam alienam, & sicut non potest dici quod vnio ad formam rationalem in materia sit tollere indifferentiam quam habet eadem ad recipiendum per potentiam Dei absolutam duas formas, tum quia hæc potentia est obediencialis, & vnio est determi

determinatio naturalis, tum quia adhuc stante vnione ad vnā formā potest per potentiam Dei absolutam esse simul alia: sic similiter stante suppositualitate non potest tolli indifferentia obedientialis, tum quia est obedientialis, & suppositualitas est perfectio naturalis; tum etiam quia potentia obedientialis identificatur; ratio autem à priori totius discursus est, quia sicut ipsa natura humana non habet potentiam naturalem, vt vniatur Verbo, vel alteri diuino supposito, ita neque habet determinationem naturalem, qua talis potentia limitetur, aut impediatur à suo exercitio, querendus igitur est alius formalis effectus, à naturali supposito tributus, vnde oritur negatio actualis vnionis ad alienum, vt patet in forma substantiali, vbicatione circumscriptione, actione adaequata, nam informata materia vna forma, non potest naturaliter informari alia simul, & existente corpore Romæ circumscriptione in sententia Thomistarum, adhuc per potentiam Dei absolutam non potest simul alibi circumscriptione existere, in sententia P. Vasquez; terminus productus per vnā actionem adaequatam non potest per aliam adaequatam simul produci, & nihilominus effectus formalis formæ substantialis, non est reddere materiā incapacem alterius formæ de potentia absoluta, neque vbicationis circumscriptione reddere corpus ineptum alteri circumscriptioni, sed quilibet ex his formis habet suum connaturalem effectum, ex quo oritur talis repugnantia: ergo idem debet dici de effectu formali suppositualitatis.

38

Vltima conclusio: suppositualitas vt sic est substantia completa vltimo terminans naturam & completens illam in esse substantiæ non solum vt sit, & conseruetur, sed etiam vt operari possit, per illam particulam substantia completa distinguitur suppositualitas à substantia animæ rationalis, & materiæ primæ, quæ quia incomplete sunt, non sunt suppositualitates per illam particulam vltimo terminans naturam, & completens illam distinguitur suppositualitas à substantia increata completa communi, quæ secundum probabilem opinionem est absolutum prædicatum commune tribus personis, nam vt probat P. Suarez tom. 1. in 3. partem, disp. 11. sect. 1. §. contraria sententia, diuina natura sicut essentialiter ex vi perfectionis suæ absolute existit, ita etiam subsistit, neque emendicare potest vt ita dicam substantiam à personis, quia Deus quatenus distinguitur à persona, est ens infinitum substantiale completum; vnde infinite perfectum in ratione substantiæ: ergo perfectio substantiæ est substantia, imo subsistere est perfectio simpliciter simplex, quæ necessario debet dari in Deo: ergo necessario debet dari in Deo substantia quædam absoluta, & communis distincta à suppositualitatibus diuinis virtualiter, & æquiuocaliter, quæ distinctio fundatur in hoc, quod substantia illa communis non est vltimum complementum, seu vltimus terminus; siquidem illa terminatur vltimo per suppositualitates relationes, relationes autem sunt suppositualitates, non solum quia sunt complete substantiæ, sed etiam quia sunt vltimi termini, & vltimum complementum naturæ; vnde suppositualitates illæ diuinæ morte nostro concipiendi, ita vltimo terminant naturam diuinam, vt amplius non sit terminabilis, & ita complement illam non modo in existentia, verum etiam in productione ad intra, vt ex natura diuinæ, & relatione constituitur principium productuum ad intra, ita vt nec sola relatio sit principium, nec natura sola; illa quia non habet fecunditatem productionis; hæc quia non habet realem distinctionem

à termino productio; vnde ex fecunditate naturæ & distinctione relationis constituitur principium fecundum, ad produendum terminum à se distinctum realiter: ergo recte ponitur illa particula vltimo terminans naturam &c. vt distinguitur suppositualitas à substantia completa increata, quæ licet vera ratio existendi per se sit, non tamen est suppositualitas, quia non est vltimus terminus, ex eo quod sit amplius terminabilis illa substantia per suppositualitates relationes, dicitur enim suppositualitas terminans naturam in esse substantiæ, quia sicut constitutio essentialis sistit, ac terminatur in indiuiduatione, seu singulariter, ita constitutio substantialis naturæ vltimo sistit, ac terminatur in suppositualitate, & sicut ex vi singularitatis non progreditur constitutio essentialis ultra, ita vt extra differentiam indiuidualem amplius extendatur constitutio essentialis, ratione cuius differentia illa indiuidualis vocatur terminus essentialis, & Metaphysicus licet, si proprie loquamur, non est realis terminus, quia terminus realis in creatis realiter distinguitur à re terminata; nam terminus debet esse à parte rei extra essentiam eius, cuius terminus est, sic similiter, & à fortiori substantia dicitur terminus substantialis, quia est vltimum, & extremum constitutum substantiale naturæ intra quod est tota constitutio substantialis illius, & extra quod nihil datur constitutionis substantialis; nam ultra suppositualitatem minime progreditur talis constitutio, alias si ultra suppositualitatem progrediretur, daretur aliud constitutum efficiens, & actus suppositualitatem, & naturam, v.g. quia ultra materiam, & formam progreditur constitutio substantialis, vsque ad suppositualitatem datur ipsa suppositualitas, quæ actuatur & afficit materiam, & formam, & naturam, ita vt tam materia, forma, quam natura, licet natura adaequate & inadæquate materia & forma diuisim sint actuabiles, & perfectibiles per suppositualitatem: ergo si constitutio substantialis naturæ esset, & progrediretur ultra suppositualitatem, & extra illam, sine dubio daretur aliqua perfectio, seu constitutum quod actuaret suppositualitatem, & naturam, ita vt natura reduplicative vt suppositata afficeretur, actuaretur, ac perficeretur per tale constitutum substantiale, sed euidenter patet, ac liquido constat, nullum dari constitutum substantiale, quod adueniat, contrahat, afficiat, actuatur, & perficiat suppositualitatem, nec naturam reduplicative vt suppositatam: ergo ultra suppositualitatem non extenditur nec extra illam progreditur constitutio substantialis naturæ, sed potius intra illam inclusue, & per illam terminatur tota illa constitutio naturæ substantialis, ita vt in suppositualitate tota sistat ac finiatur, & sic proprie erit quasi finis, & terminus naturæ substantialiter constitutæ, cum ei recte conueniat definitio Aristotelis, deficientis proprie terminum in Metaphysica, dum ait: terminus est intra quod omnia primi, extra quod nihil est accipere primi.

Explicatur hoc amplius exemplo quantitatis, nam sicut vltimum indiuisibile lineæ, est vere terminus ipsius lineæ, quia ultra illud indiuisibile non amplius extenditur, & ultra progreditur constitutio lineæ; ita similiter suppositualitas erit vere terminus naturæ, quia in tali suppositualitate vltimo sistit, ac finitur, & extra illam nullo modo progreditur amplius constitutio naturæ, vocatur etiam vltimum complementum naturæ in esse existentis substantiæ, quia vt bene ait P. Suarez, quando existit in se & per se, adhuc est incompleta, & in statu quasi potentiali, & ideo vt sic non potest habere perfectionem essendi statum debitum tali naturæ, ratione cuius possit

possit naturaliter conservari & operari. Rursus si afficiatur modo existendi in aliquo, à quo sustentetur, & pendeat etiam, habet statum incompletum, quia est in alio à quo pendet, & ad compositionem alicuius completi entis ordinatur. Tunc igitur, existentia naturae substantialis erit complete terminata, quando fuerit affecta modo existendi per se, qui habet propriam rationem suppositivitat. Ideoque merito dicitur esse terminus, aut modus naturae secundum esse existentiae, quia secundum esse essentiae iam natura est omnino completa, neque indiget alia determinatione, praesertim cum iam supponatur contracta usque ad individuationem, & singularitatem, sic igitur concepta secundum esse essentiae proxime, ac immediate indiget, ut modo concipiendi nostro loquamur existentia, qua fiat ens actu; postquam vero est essentia in actu, solum indiget modo existendi in se, ac per se: hic ergo est ultimus terminus naturae secundum existentiam eius, in quo consistit vera ratio suppositivitat. quia non sufficit ut sit ratio existendi per se, etiam si sit completa, ad hoc ut sit suppositivitas, alias substantia completa increata, si talis datur, suppositivitas, & personalitas esset, quod est falsissimum, illa enim substantia completa increata vera ratio completa existendi per se est, & quia non est ultimus terminus, sed potius sit communicabilis multis personis, non est suppositivitas.

39 In creatis autem reciproce dicuntur, imo in re idem omnino sunt, substantia completa & suppositivitas, ita ut nulla possit esse substantia completa in creatis, quin sit suppositivitas vel personalitas, quod sic probatur; nam in rebus creatis non potest esse natura substantialis completa singularis individua, & complete subsistens, & communicabilis multis personis, est enim hoc proprium naturae infinitae, & ratio est quia substantia creata sequitur naturam substantiae creatae, estque tali naturae proportionata: ergo si natura individua incommunicabilis est, etiam eius substantia; imo ipsa substantia quodammodo est magis incommunicabilis, ut ex dictis & dicendis patet: ergo natura ut subsistens complete ex eo quod creata subsistat sine dubio incommunicabilis, & interminabilis est per aliam substantiam; ergo omnis prima substantia creata complete subsistens, est suppositum, & si intellectualis est, erit persona; & contra, etiam omne suppositum creatum est prima substantia; nam est substantia completa singularis, ac per se subsistens: dicunt ergo haec in concreto reciproce in creaturis, ac per consequens etiam in abstracto dicuntur reciproce suppositivitas, & substantia completa.

40 Quod autem sint idem re constat, quia substantia creata ab intrinseco est incommunicabilis alicui personae, & interminabilis per aliam substantiam, atque ita dum constituit rem completam singularem subsistentem constituit ultimum terminatum: ergo dum constituit primam substantiam, constituit etiam suppositum: sunt ergo idem in rebus creatis prima substantia completa subsistens, & suppositum substantiae completae, & suppositivitas.

41 Dices, quamvis natura creata singularis sit naturaliter incommunicabilis personis, supernaturaliter tamen communicari potest, & in multis personis subsistere, suppositum autem creatum omnino incommunicabile est, & interminabile etiam de potentia absoluta: ergo saltem ob hanc

causam non erunt omnino idem in creaturis prima substantia complete subsistens & suppositum.

Respondeo cum Patre Suarez negando consequentiam, quia etiam si vna natura creata allumeretur à pluribus personis, non assumeretur ut subsistens reduplicative, sed per assumptionem traheretur ad subsistendum; unde argumentum solum probat in rebus creatis, ita distingui naturam & subsistens complete, sicut naturam & suppositum, idemque argumentum sumi posset ex sola incarnatione vnius personae, cui natura humana quodammodo communicatur, cum illi vniatur, cui tamen non possit vni substantia reduplicative ut subsistens, vel suppositum creatum.

Instabis iterum, sicut assumpta est natura sine personalitate, & substantia creata, ita posset etiam assumi natura cum substantia, & sine illa incommunicabilitate, quae est de ratione suppositi: sic ergo natura assumpta esset subsistens, & consequenter prima substantia, & non esset suppositum, quia non esset incommunicabilis alicui supposito: ergo distinguuntur in creatura substantia complete subsistens, & suppositum plusquam ratione, esto sint naturaliter coniuncta.

Respondeo negando assumptum, quia prorsus est impossibile propter tria: primum quia substantia completa finita est terminus naturae propter rationes iam supra positas, unde debet esse ultimum constitutum naturae in esse substantiae, ac per consequens non potest esse contrahibile, seu actuabile terminabileque respectu alterius ac proinde necessario, licet natura specificative subsistens, possit terminari per aliam substantiam, non tamen reduplicative ut subsistens complete, sicut verbi gratia, licet materia prima informata, vna forma specificative possit per potentiam Dei absolutam informari aliis formis, reduplicative tamen ut informata vna forma non potest informari altera, nec per potentiam Dei absolutam, alias forma, & actus substantialis, supra quem cadit reduplicatio, posset actuari & informari, & sic esset actus, & potentia substantialis; unde esset actus & non actus, potentia, & non potentia simul, quod est impossibile, sic similiter licet reduplicative nullo modo potest natura ut subsistens suppositari, quamvis specificative possit, alias substantia illa completa esset actuabilis, & terminabilis per aliam; unde esset terminus, & non terminus, ultimum, & non ultimum simul, quae sunt impossibilia.

Secundum est, quia substantia finita est incommunicabilis ex hoc praecise quod est finita, & ex sua quasi essentiali, vel specifica ratione, fieri autem non potest ut talis substantia maneat in rerum natura quin sit finita & creata; imo fieri non potest, ut conservetur in humanitate propria substantia, quin conservetur in eadem specie, imo eadem numero, incommunicabilitas autem talis substantiae, non est aliquod ei additum, sed est intrinseca, & essentialis limitatio eius, & ideo apertam contradictionem involuit, quod maneat talis substantia sine incommunicabilitate.

Tertia ratio quae praecedentem magis declarat, est, quia duobus modis potest intelligi substantia realiter communicabili supposito vno per intimam identitatem, & quasi inclusionem in re, vel rebus, quibus communicatur, & hic modus communicationis repugnat omnino substantiae creatae, quia est contra limitationem eius.

estque hic modus proprius subsistentiae divinae absolutae; nam vni correlatiue convenire non potest respectu alterius propter oppositionem, alio modo potest intelligi communicatio per aliquem modum unionis, & hoc modo omnis subsistentia completa, hoc ipso quod subsistentia est incommunicabilis alteri personae, quia sic communicari involuit apertam contradictionem repugnantem ipsi rationi subsistentiae, quae includit necessario independentiam ab alio sustentante, seu subsistente; itaque incommunicabilitas personae praeter negationem communicationis per identitatem respectu rerum distinctarum solum excludit communicationem ad alterum, ut ad ultimum terminum existentiae, qui terminus in rebus creatis censetur necessarius ad complementum existentiae propter quod in eis dici solet haec incommunicabilitas esse ad alterum ut ad terminum, quia hic terminus complere solet id quod proprie, ac per se existit, tanquam id quod simpliciter esse, & operari dicitur, & hoc est quia per talem terminum redditur incommunicabile praedicto modo, scilicet ipsum suppositum, quod in rebus creatis est compositum ex natura & modo illo, seu termino existentiae, & in Deo proportionali modo secundum constitutionem simplicem seu rationis sine compositione, natura autem, quae est in supposito, non fit ipsa incommunicabilis per talem modum, seu terminum existentiae, vel saltem hoc non est de ratione suppositivae, ita essentialiter, ut natura terminata per talem suppositivam adhuc de potentia Dei absoluta non possit terminari per aliam divinam, quia licet ipsa suppositivitas in se sit essentialiter interminabilis per aliam, non tamen hoc in eodem gradu essentialitatis communicat naturae specificativae suppositivae, licet illud communicet supposito, quod est effectus formalis illius, & naturae reduplicativae ut suppositivae, quae ut sic reduplicativae sumpta adhuc de potentia Dei absoluta non potest terminari per aliam suppositivam, licet verum sit quod natura specificativae suppositivae, id est quae terminatur per suppositivam naturaliter non possit simul terminari per aliam; exemplo manifestissimo hoc demonstratur, anima rationalis, quia forma & actus essentialis ultimus est, est essentialiter inactuabilis, & ininformabilis adhuc de potentia Dei absoluta, quia nullo modo potest adhuc divinitus informari, & actuari per aliam formam substantialem, alias esset simul forma, & materia prima actus substantialis, essentialis, & potentia essentialis substantialis, & sic esset materia, & non materia, forma, & non forma simul, & nihilominus hanc ininformabilitatem, & inactuabilitatem non communicat materiae primae specificativae informatae per ipsam in eodem gradu essentialitatis, quo ipsa forma est ininformabilis, cum certum sit, ut probavimus in Physicis materiam informatam animae rationali, posse simul de potentia Dei absoluta informari alia, imo & pluribus formis, licet in eodem gradu communicet talem inactuabilitatem, tum materiae reduplicativae, ut informatae per animam rationalem, tum composito ex materia prima & anima rationali, quae essentialiter inactuabilia sunt, ita ut nec per potentiam Dei absolutam possit homo, qui compositum est ex materia prima & anima rationali informari per aliquam formam, nec materia ut informatae reduplicativae anima rationali possit vlllo modo informari per aliam, cum hoc tamen stat, quod materia specificativae informatae, per ani-

mam rationalem, non possit simul naturaliter actuari per aliam, quod exemplum aperte declarat id quod intendimus in suppositivitate.

His omnibus particulis definitionis suppositivae explicatis, quae sunt, quasi differentiae ipsius, breviter explicanda est particula illa *subsistentia*, in qua continetur ratio communis, & quasi generica suppositivae, in qua convenit suppositivitas cum omni subsistentia, tam creata quam increata, tam completa, quam incompleta; est igitur subsistentia ut sic, ratio formalis existendi per se, exercitiumque substantiae in quantum substantia est, itaque substantia potest dupliciter considerari; primo in actu primo; deinde in actu secundo; substantia autem in actu primo est gradus quidam entis, cui ex vi suae essentiae debetur existere in se, & per se opposito modo, respectu accidentis, cui ex vi suae essentiae debetur existere in alio, seu inherere in illo, & actualiter existendi per se; & haec ratio dicimus esse subsistentiam, nam ut optime ait P. Suarez licet substantia sit ens per se, non est ens per se actualiter, & formaliter per suum ipsum esse essentiale, sed per modum quemdam substantialem ex natura rei distinctum in creaturis ab ipsa substantia creata, in divinis autem solum distinguitur per maiorem expressionem intellectus, v. g. homo essentialiter est vivens sensibilis, & nihilominus vita actualis, & formalis distinguitur ab ipso homine à parte rei, vivere enim actualiter distinguitur ex natura rei ab illa, & sic vita actualis, & formalis distinguitur à parte rei ab ipso gradu essentiali vivendi; ratio autem à priori huius est, quia omne exercitium actuale distinguitur à parte rei in creaturis ab entitate reali creata, quia omnis res creata distinguitur à Deo in hoc, quod dicit potentialitatem respectu sui exercitii, propter imperfectionem creatae entitatis realis, quod nullo modo habet Deus cum sit actus purissimus, & in ultima actualitate consistat, ratione cuius idem est in Deo, sine aliqua distinctione à parte rei posse esse & actualiter esse posse intelligere, & actualiter intelligere, posse amare, & actualis amor; sed subsistere, & subsistentia quae est ratio formalis existendi per se, est exercitium actuale gradus substantialis in quantum substantialis est; ergo distinguitur ex natura rei in creaturis ab ipso gradu substantiali, sicut actualiter vivere, & actualis amor, & actualis intellectio distinguuntur à gradibus essentialibus vivendi, intelligendi, & amandi, & sicut actualis inherencia distinguitur ex natura rei à gradu accidentis. His ita explicatis.

Assero effectum formalem primarium suppositivae esse suppositum, hoc est concretum ex natura substantiali completa, & ex termino, seu complemento ultimo substantiali, quod aliter solet explicari dum dicitur suppositum esse naturam completam substantialis ultimo terminata & substantialem completam. Haec sententia est sine dubio vera.

Probat per primo Authoritate sumpta ex Theodoro, *tratt. de Trinitate qua habetur 1. com. Conciliorum post brevium liberari*, & in Ioanne Maxentio *ex fidei confessione qua habetur 1. com. Bibliotheca Sacra*, ubi explicant naturam terminatam per suppositivam esse suppositum; idem patet ex Concilio Ephesino, *cap. 4. can. 4.* & ex Concilio Constantinopol. *cap. 6. can. 2.* & ex quinta synodo *can. 1. & sequentibus*, & ex sexta Synodo,

Quaest. vlt. Quis sit effect. form. supposit. 111

Synodo, actione quarta, in epistola Agatonis Papa, & in quadam synedica confessione, quae ut ordo dixi approbatur actione 27. & in edicto fidei Iustitiani Imperatoris, ubi sapissime sumuntur pro eodem substantia integre subsistens, ultimo terminata; & suppositum, seu persona, sapissime enim dicitur Christum esse substantiam ultimo subsistentem, siue personam, qua particula siue, manifeste indicat personam esse periphrasim substantiae completae ultimo terminatae, idem colligitur ex Concilio Toletano 6, & 11. Hispaniae secundo Bormascensi, & Arelatenfi.

Non minus efficaciter probatur nostra conclusio ex usu, & modo loquendi antiquorum PP. apud quos idem est omnino suppositum hypostasis, natura substantialis completa, & ultimo terminata per terminum substantialem, & ideo frequenter DD. Ecclesiae explicant vocem hypostasis, seu suppositi, per naturam substantialem, ultimo terminatam, & ultimo completam, per subsistentiam, ut videtur est apud Hieronymum, Epistola ad Damasum, qua habetur secundo, tom. Epistol. ex Augustino, lib. 5. de Trinitate, cap. 8. & lib. 9. septimo cap. 4. & 5. & lib. 8. cap. 4. expresse etiam colligitur ex Basil. Epistol. 43. & Gregor. Nic. lib. de differentia essentiae & hypostasios. Damasceno lib. 3. de fide, cap. 1. & 6. Athanas, in tract. de definitionibus, Dionysii, cap. 1. de diuinis nominibus, Iustin. lib. de fidei recta confessione. Praeterea, in quinta Synodo Can. 1. sic dicitur, si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentiis terminatam, siue personis adorandam anathema sit; ubi pro synonymo naturae terminatae dicit esse personam, siue vitur nomine personae, idem dicitur in 6. Synodo actione 4. & idem saepe repetitur, actione 10. in Epistol. Episcop. & actione 11. in Epistol. Sophronii.

Ratione autem sic demonstratur haec veritas, quae adeo clara est, ut sola indigeat terminorum explicatione, supposita definitione supposititalitatis.

Quia effectus formalis alicuius formae nihil aliud est in omnium Philosophorum sententia, nisi concretum ex tali forma, & ex subiecto, vel quasi subiecto illius, verbi gratia, effectus formalis animae rationalis est compositum resultans ex ipsa anima rationali, & ex materia prima, quae est subiectum talis animae; item album est effectus formalis primarius albedinis, quia est concretum resultans ex albedine, & ex subiecto albedinis, & sic de ceteris omnibus effectibus primariis formarum sine aliqua tergiversatione ac dubitatione; sed suppositum est concretum resultans ex supposititalitate tanquam ex forma & ex natura tanquam ex subiecto supposititalitatis, quapropter supposita multiplicatur non ad multiplicationem naturae, quia materiale est; sed ad multiplicationem supposititalitatis, ut patet ex fide catholica, docente in Deo dari tres personas, seu supposita, vnum ramen Deum, quia non multiplicatur diuinitus; sed solam supposititalitates: ergo suppositum est effectus formalis primarius supposititalitatis, suppositum autem nihil aliud est, quam concretum resultans ex ultimo termino & complemento substantiali, & natura substantiali completa; ac proinde, ut supra dixi, communiter asseritur effectum formalem primum supposititalitatis esse concretum, seu constitutum ex ultimo termino substantiali & natura completa, quod expresse asseruit Hugo Victorius, & Richardus de S. Viêt, lib. 4. de Trinitate,

cap. 12. & 20. dicens suppositum esse naturam terminatam, & ultimo completam substantialiter, siue naturam in ultimo termino substantialiter existentem.

Confirmatur haec ratio, quia ille est effectus formalis alicuius formae, de cuius essentia expresse, primario, & formaliter est forma: sed de essentia suppositi est supposititalitas prima, io, & formaliter, sicut de essentia calidi est calor, & de essentia Sancti, Sanctitas; ergo sicut sanctum, & calidum sunt effectus formales primarij sanctitatis, & caloris; ita suppositum est effectus formalis primarius supposititalitatis, hoc est natura substantialis, ultimo substantialiter terminata seu completa.

Secundo principaliter sic argumentor ratione, qua vitur D. Thom. 1. part. quaest. 29. artic. 3. qua probat personam esse in Deo, quia persona est perfectissimum in qualibet natura; nam significat substantiam terminatam ultimo termino substantiali, ac propterea incommunicabilis, seu terminabilis amplius, sed diuina substantia, quae perfecta, & intellectualis est necessario habere debet ultimum aliquem terminum substantialem; ergo habere potest rationem personae ex qua ratione euidenter probatur idem esse formalissime naturam completam ultimoque terminatam substantialiter, ac personam seu suppositum; atqui in sententia D. Thom. suppositum seu persona sunt constituta primario, ac formaliter per supposititalitatem seu personalitatem; ergo natura ultimo terminata, & completa substantialiter est constitutum formale seu effectus formalis personalitatis seu supposititalitatis.

Suppositum sic definitum, diuiditur in intellectuale, & non intellectuale, illud primum vocatur persona, hoc secundum vocatur solum suppositum, quod nomine generico denominatur, ut distinguatur à perfecto quod persona dicitur, secundum communem sententiam Theologorum ex illa definitione Boëtij in libris de duabus naturis. Persona est rationalis naturae indiuidua substantia id est substantia prima talis naturae, ut recte declarat D. Th. 1. p. q. 29. art. 1. & 2. si autem interroges, an formalis ratio personae differat quidditative à ratione formali suppositi, quod non est persona, an vero tantum ex parte naturae, quia alia est in natura intellectualis, alia vero secus; aliqui autem frequenter solent dici personam, & suppositum differre quasi materialiter ex parte naturae, non vero formaliter in ratione, & modo incommunicabiliter subsistendi.

Sed ad nostram sententiam proferendam animam aduertere licet, suppositum sumi posse generaliter, & specialiter ut videtur est in praedicamento qualitatis, dum agitur de dispositione, eodem enim nomine dispositionis & significatur genus ad habitum, & species opposita habitui, sic similiter in hoc casu nomen suppositum significat, & genus ad personam, & speciem oppositam personae, & sic generaliter sumptum suppositum significat quid commune personis, & suppositis, quae non sunt personae, specialiter tamen modo dictum solum includit sub se supposita in naturis non intellectualibus, quae non habent rationem personae; unde in praesenti dubio queri potest, quomodo personalitas, distinguatur à ratione suppositi specialiter dicti, & à communi ratione suppositi.

Dico primo si persona comparatur cum supposito ut sic, distinguitur formaliter in ratione tanquam

subsistendi, tanquam particulare à communi, & tanquam dignissima species à communi genere, non quod propria ratio generis, & speciei in his reperiatur, sed proportionalis, quia intellectualis natura subsistentiam habet sibi proportionatam, & altioris rationis ab inferioribus naturis; unde addit differentiam perfectam, per quam contrahit rationem suppositi, quasi genericam, & per quam distinguitur ab ipso genere, non solum materialiter, sed etiam formaliter.

58 Dico primo rationem formalem personæ intrinsece, & quidditatiue distingui à ratione suppositi specialiter dicti, non modo ratione naturæ. Probatur sic, quia personalitas est ultimum complementum, & ultimus terminus naturæ intellectus, & alius; atqui talis terminus quatenus terminus, & quatenus ultimum complementum substantiale, aut est pure spirituale, ut in Angelis, aut compositum ex ratione spirituali, & materiali, ut in homine: ergo talis personalitas distinguitur quidditatiue, & formaliter in ratione personalitatis, & termini, & non solum ratione naturæ. Patet hæc consequentia, quia entitas dicens prædicatum spirituale intrinsece, & quidditatiue, distinguitur quidditatiue intrinsece, & essentialiter ab entitate, quæ tota est adæquate corporea, ut patet, nam Angelus, & homo distinguuntur intrinsece, & essentialiter secundum proprias naturas, à natura equi, vel leonis, ex eo quod Angelus, & homo includunt in propriis naturis prædicatum spirituale, adæquate, vel inadæquate, natura autem equi, vel leonis est adæquate corporea, sed omnis personalitas quatenus talis est, aut adæquate aut inadæquate est spiritualis, & omnis suppositalitas specialiter dicta, est adæquate corporea: ergo omnis personalitas, ut præcisa à natura distinguitur formaliter quidditatiue, & essentialiter ab omni suppositualitate.

59 Secundo probatur, quia personalitas est modus afficiens per suam intimam entitatem, dicensque relationem transcendentalem ad naturam intellectualem, & suppositualitas dicit ordinem transcendentalem ad naturam minime intellectualem: ergo personalitas, & suppositualitas distinguuntur inter se, per ordines illos transcendentales: atqui tales ordines distinguuntur essentialiter inter se, quia specificantur à distinctis terminis essentialiter distinctis, uti est natura intellectualis, & non intellectualis: item tales ordines, quia transcendentales sunt prædicata essentialia personalitatis, & suppositualitatis: ergo personalitas, & suppositualitas distinguuntur inter se essentialiter, & formaliter per prædicata essentialiter distincta, & constitutiva illarum.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvuntur.

60 Ad primum secundæ sententiæ respondeo quod si loquatur de natura Angelica negandam esse maiorem; nam etiam si natura Angelica non haberet suppositualitatem ex vi propriæ entitatis non dependeret à subiecto, ex eo quod spiritualis est, si autem loquatur de natura composita, negamus suppositum maioris, supponit enim naturam illam, ex eo quod affecta

sit suppositualitate non dependere à materia prima, quod falsissimum est, quia adhuc licet affirmari, quod suppositualitate talis natura est composita essentialiter: atqui omne compositum dependet essentialiter à materia: ergo natura, etiam affecta suppositualitate dependet à subiecto, si autem loquatur adversarius argumentum de natura incompleta in ordine ad subsistentiam, & non ad suppositualitatem & talis natura incompleta fuerit adæquate materialis, dependebit necessario à subiecto, si autem fuerit spiritualis, non à subsistentia, sed à sua entitate erit independens; unde neque in una entitate, neque in alia est effectus suppositualitatis independentia à subiecto in una, quia ex vi suæ essentia habet talem independentiam in altera, quia etiam si habet subsistentiam, non habet independentiam; unde falsa est illa minor argumenti ac per consequens duæ illæ consequentia, ut falsæ negantur.

Ad confirmationem nego maiorem, quia inherencia est modus accidentis: atqui modus unius rei non potest nec per potentiam Dei absolutam convenire alteri, unde substantia etiam si non haberet subsistentiam, non posset habere inherenciam.

Ad secundum argumentum concedo maiorem, quoad primam partem, quoad secundam autem negatur per potentiam Dei absolutam; si autem loquatur de modo essendi in alio per inherenciam concedimus totam maiorem, & nego consequentiam, si loquatur de prædicato essentiali ipsius subsistentia; independentia enim non est prædicatum essentialia subsistentia, nec recipitur cum ipsa subsistentia, ut patet ex supra dictis.

Ad primum secundæ sententiæ respondeo cum Patre Hurt. per instantiam ad hominem, subsistentia est complementum substantia in ratione substantia, sed substantia est formalissime independentes à subiecto inherencia à priori, & à posteriori; ergo subsistentia illam complet in eo genere: ergo est independentia substantia à subiecto inherencia non solum à posteriori, ut ipsi allerant, sed etiam à priori ut ipsi negant; item intellectus, & cetera accidentia sunt complementum substantia in ratione substantia, nec sunt eius independentia.

Concedo igitur maiorem; item & minorem, sumendo ens per se in recto pro ipso conceptu substantia, distinguo autem consequens, est complementum rei, ut independentis, secundum quod dicit in recto, concedo consequentiam, secundum quod dicit in obliquo nego. Dependens enim, & independens dicunt in recto entitates terminorum, & in obliquo dependentiam, & independentiam; substantia, & omnia accidentia perficiunt substantiam in recto, quoniam pertinent ad obliqua, ut enim substantia est independentes à priori, quin substantia spectet ad eam independentiam, ita neque ad aliam, est tamen specialiter complementum substantia in ratione substantia, quia est complementum substantiale.

Ad argumentum ultimæ sententiæ negatur maior, de qua, & de toto illo argumento latissime dictum est in probatione nostræ sententiæ.